

## DECIMVS TERTIVS

Hanc autem partem proportionalem addam longitudini maxime ad punctum b. contingentem, si reliqua maior fuerit, aut minuam ab ea, si reliqua minor fuerit, & habebō longitudinem à loco Solis uero maximam, quæ accidit Mercurio in principio arietis existenti, quod intendebam. Nō aliter ad cetera loca Zodiaci operaberis. Igitur quo simplici conatu rerum mediarum egestate proficiscendi nō est potestas, Geminis uilibus pertingere non tua te deterreat secordia.

FINIT LIBER DVODECIMVS.

# LIBER DECIMVS TERTIVS SPECVLATIONIS THEORICARUM Partem postremam, Motus uidelicet in latitudinem planetarum, suasque considerationes planissime dimetitur.

PROPOSITIO PRIMA.



**L**ATITVDINIBVS TRIVM  
superiorum uiam speculationis aperire.

¶ Crebris Ptolemæus obseruationibus coniecit tempore suo maximas Saturno, & Ioui accidere latitudines, dum in principio libræ, aut prope constituerentur. Marti uero circa finem Cancrī, fortasse in auge eccentrici posito, latitudines inquam septentrionales. In partibus uero diametraliter oppositis maximas latitudines meridionales. Quo satis explorato, cœpit Ptolemæus obseruare planetas, unumquemque in meta latitudinis suæ maximæ, nunc quidem in auge epicycli uera aut prope, quoniam in auge epicycli uix aut nunquam oculo satis apparet planeta, radijs solaribus id agentibus, nunc uero in augis opposito. Notauit autem pluri latitudine planetam in opposito augis epicycli existentem ab ecliptica remoueri quam in ipsa auge, tam in parte eccentrici septentrionali quam meridionali. Vtraque autem latitudinum ad auge epicycli ueram, & eius oppositum pertinentium, in medietate eccentrici septentrionali uidebatur septentrionalis, & in medietate meridionali, utraq; meridionalis cernebatur. Quæ res significauit, totam epicycli diametrum uersus septentrionem ab ecliptica, aut totam uersus meridiem remoueri. Quod haud euenire potest, nisi centrum epicycli, & pars superficiẽ eccentrici, in qua ipsum epicycli centrum statuitur, uersus eandem partem declinet. Conclufit igitur Ptolemæus noster superficiẽ eccentrici ad superficiẽ eclipticæ inclinari esse. Duosque sectionis terminos, quemadmodum in Luna nodos appellauit. Epicycli itidem superficiẽ ad superficiẽ eccentrici eodem iudicio comprobatur inclinata. Nisi enim id certum esset, nequaquam cerneret planetæ diuersas quantitate latitudines ad auge epicycli, & eius oppositum accidere. Deinde haud inertius expectauit aduentum centri epicycli in alterum nodorum, ita ut ipsum à termino Boreali per quadrantem distare intelligeret. Sed & corpori planetæ distantiam quadrantis ab auge epicycli uerã delegit, quotienscumque considerationes duas istas confluisse uidit, non deprehendit

S ij dit